



# Disputatio metaphysica tertia de causis

<https://hdl.handle.net/1874/340883>

DISPUTATIO METAPHYSICA  
TERTIA,  
DE

C A U S I S.

QUAM,

Favente Deo Opt. Max.

SUB PRAESIDIO,

D. PAULI VOET, L. A. M.  
& Metaphysices in almâ Academiâ Ultrajectinâ Professoris.

Publicè tueri conabitur,

MARCUS du TOUR.

Ad diem 19. Mart. hora secunda pomeridiana.



VLTRAIECTI,

Ex Officinâ ÆGIDII ROMAN, Academia  
Typographi, Anno 1642.



*Iuvenibus Nobilitate & doctrina conspicuis,*

DD. IACOBO vander HOOGEN

DD. IOHANNI BROOKE,

Illi legum, huic Philosophiæ studi-  
oso diligentissimo.

*Exercitium hoc Metaphysicum in grati  
animi pignus.*

Consecro,

MARCUS du TOUR Resp.

*Amicus Amicis.*

DISPUTATIO METAPHYSICA  
TERTIA,  
DE  
CAUSIS.

Quærit. *An dentur formæ substantiales?*

**E**SS E ac dari in natura formas substantiales, in genere probatur ab existentia animæ rationalis, quam ultra accidentia esse in homine adeo certum est, & lumine naturæ notum ex variis operationibus ipsius hominis, ut nullus, quantumvis idiota, eam non agnoscat. Et ratio ipsa hoc convincit à posteriori desumpta ab immortalitate illius, ex voluntatis libertate, ex actibus intellectus, & voluntatis, quæ omnia accidenti competere repugnant. Eam vero esse formam informantem, & existentem de fide certum est. Dari alias formas substantiales, quas vocant materiales, negant Patritius tom. 4. discurs. Peripat. lib. 3. fol. 385. Basso lib. 3. de forma. Gorlaeus exercitat. 14. E contra ex antiquis primum eas agnovit Pythagoras, deinde Timæus locrensis ejus discipulus; post quos Plato & Aristoteles clariorem illarum notitiam tradiderunt, easque agnoverunt, & nos cum illis. Quarum demonstratio nobis petenda erit, partim ex lumine scripturæ partim ex rationalibus naturalibus, loca scriptura hæc sunt. Genes. I. vers. 11. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum priniferum, faciens fructum juxta genus suum, cujus semen sit in se super terram. Et factum est ita Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque semen secundum speciem suam.* Et v. 22. piscie autem & ædibus dixit; *crescite & multiplicamini, & replete aquas maris: avesque multiplicentur super terram.* Et v. 29. homini dixit: *ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semet ipsis semen generis sui.* Ex quibus scripturæ

juræ dictis probatur I. rerum generatio, quæ nihil est aliud, quam quando nova substantia producitur à simili, vel ab alio, atque adeo quando unum individuum producendo aliquod novum, juxta genus, vel speciem suam, sese multiplicat. II. probatur dari species rerum naturalium. At si dantur species rerum naturalium. At si dantur species rerum naturalium, dabitur una quædam essentia atque adeo unum ens, quod sit species; paret conseq. quia species nihil aliud denotat quam unam quædam essentiam. Si vero detur una quædam essentia, debet dari forma quæ addita materiæ faciat ens quoddam unum. Si autem loco formæ detur accidens, quod cum materiâ constituat compositum, hoc non erit una quædam essentia singularis, sed erit unum per accidens. At unum per accidens dicitur unum non univocè sed æquivocè; non enim est ens, sed entia, quæ cum sint diversorum prædicamentorum, nequeunt essentiam constituere singularem. Adde aliud argumentum ex Sac. Pap. deductum. Corruptio omnium rerum, in genere dicitur vel putrefactio, vel petrificatio &c. Illarum vero rerum interitus, quæ anima gaudent, non dicitur speciali modo putrefactio, vel petrificatio &c. Sed mors, quæ est separatio animæ à corpore. Ubi ergo mors locum habet, ibi anima, ubi anima, ibi forma; ergo ubi mors, ibi forma. Cum igitur jumentis, & brutis aliisque, idem modus interitus tribuatur qui homini, erit ille per separationem animæ & corporis. Neque poterit ideo dici idem interitus, quia eodem modo humidum radicalè à calide innatæ absumitur. Nam absumptio & consumptio humidæ radicalis à calido innato, non dicitur mors, quæ sola est separatio animæ & corporis. Probatur autem jumenta & bruta alia animantia, non simpliciter interire, sed mori. Eccles. 3. v. 19. *Quia accidens filiorum, & accidens animalis accidens idem est eis: sicut moritur istud, sic moritur iste: & spiritus idem omnibus: & amplius homini, quam jumento non est.* & v. 21. *Quis scit an spiritus filiorum hominum sit is qui ascendat sursum, & an spiritus animalis sit is qui descendit subter terram?* Demonstrationes ex lumine naturæ desumptæ tales tales sunt. I. Cum præter materiam, quod in natura est principium

passivum

passivum, ineptum per se movere, aptum moveri, atque adeo mobile, dandum sit quoddam principium, quod in rerum naturalium generatione vel productione, sit cuj usque rei efficiens causa & principale agens. Considerandum venit quale illud sit. Non possent autem in genere esse accidentia, nimis enim instrumentaliter fieret productio omnium rerum, si accidentia, quæ solum sunt instrumenta, substantiarum causæ dicantur principales, idem enim esset, ac si quis ferræ, & aliis id genus instrumentis, eorum quæ per illa sunt causam tribuat. Oportet igitur, ut in productione corporis naturalis agens quoddam superius investigetur; quod nihil aliud est, quam forma. Deinde specialiter id probatur; in productione corporis naturalis, quæ erit causa motus aut mutationis? non materiæ illa enim proprie non agit, unde etiam accidentia materiæ sunt inefficacia, ut quantitas quæ nullam habet virtutem producendi motum, non reliqua illa accidentia scilicet secus, posituræ, &c. Quia nullum accidens potest esse principium primum alicujus motionis, multo minus, principium primum motionum vitalium. Accidens enim non movet, imo non agit, nisi in virtute alicujus substantiæ. Præterea, si nulla admittatur firma, unde erit illa positura figura &c? id est, quis ita disponet omnes materiæ partes? & quis erit causa movens, & causa istius motus? Nulla sane, nisi forma substantialis, quæ efficit ut positura, figura &c. Immutentur. II. Quia in quovis composito datur principium unum, & radix omnium potentiarum & operationum; ergo dabitur natura quædam, in quâ omnes operationes, tanquam in principio radicanter. Anteced. patet; quia videmus in equo v. gr. post mortem deficere omnes operationes, motum, vitam &c. item in igne extincto deficere illuminationem, calefactionem, exsiccationem &c. Ergo omnes illæ operationes connexæ erant inter sese & radicatae in aliquo principio primo & substantiali, ex cujus defectu pereunt illæ. Si enim omnes illa fuissent inter se disparatæ, cur uno pereunte, omnes aliæ perirent. Cons. prob. Illa natura in quâ radicanter accidentia, non poterit esse accidens, neque materia non accidens, quia nullum accidens principium primum ullius

motus esse, potest. Non materia, quia hæc ex se indifferens, est ut habeat hæc vel illa accidentia. Ergo erit sola forma substantialis.

III. Probatur ex actionibus, effectis, operationibus, proprietatibus, quas à materiæ dispositione oriri impossibile est. Quia tum manente eadem materiæ dispositione, deberet manere, eadem operatio. Quum tamen diversæ appareant in corporibus naturalibus operationes. Nam si dicatur materiæ dispositio mutari, jam mutabitur ipsa rei essentia secundum illos, qui statuunt essentiam consistere in partium dispositione. Cui vacat, videat Suarez, de operationibus, quas latè, doctè, & solidè expendit, disp. 15, Met. sect. 1, IIII. Probatur ex operationum similitudine: quia sicut in homine ex diversitate organorum, dispositionum, & operationum colligimus formam substantialem, quæ sit principium illarum; ita cum in reliquis animantibus videamus similes operationes, dispositiones, organizationes &c. Fateri debemus, dari in illis formam substantialem, à quâ ex omnia orientur. Cum enim scimus in homine sensus externas & alia interna, homini cum brutis communia, oriri à formâ, cur id ipsum dicemus in brutis non à forma, sed à partium oriri dispositione; cum tam sint iudicia ad substantialitatem formæ elephantis vel simi, quam ad humanæ.

V. Paret ex generatione & corruptione, quia in generatione constituitur rei cuiusdam essentia, quæ non est accidens, quia mutatio quâ acquiritur accidens, non est generatio, sed alteratio solum, item quia in corruptione aufertur essentia canis & leonis. Ergo deest aliqua leonis & canis substantia; sed non deest materia; ergo deerit forma. Si dicas solum auferri accidentia, atque adeo in interitu canis, solum fieri accidentium mutationem. Ergo res non different essentialiter, sed accidentaliter. Ergo non dabuntur species rerum, quia in eodem genere conveniunt, & canis, & lapis, & leo. quod si statuas illa accidentia esse essentialia, dico non posse, siquidem accidens est, quod adest & abest sine subjecti interitu. Si dicas esse accidentia propria, assigna certa nomina. Nos dabimus proprii definitionem: proprium est, quod non declarat totam rei quidditatem, & tamen soli inest rei, & semper, & reciprocè. At si accidentia illa essentialia sint talia propria

propria, jam non poterunt constituere essentiam, sed fluent & emanabunt immediate ab essentia. Nam ipsa essentia, non est proprietas essentia, nec proprietas essentia ipsa essentia. Quæ vero futura est illa essentia, unde accidentia essentialia emanabunt? Non potuerit esse materia, quia est indifferens ad omnia accidentia. Deinde, contrarium sentientes statuunt specificam differentiam desumi ab ipsis accidentibus, quæ illis sunt essentialia. Ergo nihil supererit nisi forma, unde possunt emanare si immediate fluere illa accidentia.

Quær. *Quæ sit origo formarum?*

Postquam demonstravimus existentiam formarum, sequitur difficultas de earum productionis modo. Nos secundum communem Peripateticorum sensum dicimus, formas educi ex potentia materie. Quod Thom. I. p. 4. 90. art. 2 ad 2. Explicat brevi hac sententia: *Est aliquod fieri actu, quod prius fuerat in potentia.* Hoc est formas naturali vi causarum efficientium educi in actum ex potentia materie, sive produci in materiam concurrente subjective ad productionem, secundum potentiam quam habet ad illas naturalem. Atque ita formæ fiunt actu, quæ antea nihil erant. Neque tamen fiunt ex nihilo quia fiunt ex præexistente materia. Ut igitur hæc quæstio melius intelligatur, explicandum est, quid sit, I. *Contineri in potentia materia?* *Ex illa educi?* I. Contineri in potentia materie non dicit aliquid actuale ex parte rei contentæ, sicut aqua dicitur contineri in vitro aut in vase: quod enim ita continetur in aliquo, tanquam existens actu in illo, non potest amplius in illo vel ab illo produci, sed supponitur aliquid productum & existens, & unitum illi, in quo producitur. Sed quemadmodum, quod continetur in efficiente ut in causâ, dicitur contineri in potentia sc. in virtute activâ illius; ita quod continetur in materia, ut in causa materiali dicitur contineri in potentia illius receptiva sc. passiva: quia unaquæque causa continere debet effectum juxta proprium causandi modum. Efficiens quidem: quia causat, quatenus est in actu, oportet ut illum contineat ratione suæ activitatis. Materia vero, quia causat per modum suæ puræ potentia, debet illum continere ratione suæ potentialitatis. II, Ut innotescat, quid sit *ex illa educi*, tres conditiones proponendæ sunt, quo fiat distinctio inter formas immateriales: ad illas enim ma-



nim materia habet potentiam receptivam, non educivam; ad has & educivam & receptivam. I. Conditio hæc erit: forma debet pendere in suo esse, & in fieri a subjecto a quo educitur; id est, requiritur ut actus, sc. forma in tali potentia receptibilis, aliquomodo sit immersa materiae, ita ut nec habeat, nec connaturaliter possit habere esse, nisi dependenter a materia. II. Tale subjectum debet esse proportionatum tali formæ, & forma illi. Ut enim causa aliqua dicatur continere aliquem effectum, ille debet esse intra sphaeram talis causæ, & intra extensionem talis virtutis. Virtus autem alicujus solum extenditur ad illud, ad quod habet naturalem proportionem; quod enim est alicui improportionatum extra sphaeram illius est, nec in illius potentia & virtute continetur, & quicquid non continetur in eâ, nec ab eâ educi poterit. III. Forma non debet venire ab extrinseco, sed nasci ex ipsâ materia: id est non solum debet intervenire transmutatio illius, sed talis forma fieri debet ex vi actionis, per quam effectivè saltem transmutatur materia, & sane ratio hujus aperta est: quia cum formæ educendæ contineatur in materia, ut in causâ, ac proinde nec habeant, nec naturaliter habere possint esse nisi dependenter a materia, & ab unione cum illâ, fit inde necessario ut ex vi ejusdem actionis, quâ educuntur, uniantur materiae; nec possit aliter eis communicari esse, nisi uniendo eas eisdem materiae; ac proinde & quod ex vi illius actionis transmutetur materia, & rursus quod ex vi ejusdem transmutantis debeant fieri. Atque hæc pauca ad enodationem quæstionis suffecerint.

## Corollaria Respondentis.

### PHYSICA.

- I. **O**ccultas dari rerum qualitates usq; admirandam Magnetis virtutem adscribendam assertum inus.
- II. Invernum motus quietisque principium Horologio tribuendam experientia suffragio refragatur.
- III. Substantiales Elementorum formas in mistione refringi castigari ac remitti insiciamur.
- IV. Quod aqua intonsissime calefacta, ad pristinum frigoris statum reducat aeris neutiquam adscribendum.